



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata  
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem  
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.  
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum  
festiuitatibus habitae

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII**

De Domini Iesu Angustatione in domo Annæ & caiphæ Theo. X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

Conuersus  
quomodo  
Christus Pe-  
trum respec-  
xit.

Denuò igitur gallus cantauit. Conuersus itaq; Iesus, quasi qui dissimulando Petri oblitus fuisset, non illum protegens, sed labi finens, respexit eum oculis suę misericordię, atq; per internam illi insinuans inspirationem quid egisset, quomodoq; hunc illi lapsum prenunciasset *recordatus est Petrus*, rediens ad cor, verbi quod sibi Christus prædixerat: *Antequam gallus cantet bis, ter me negabo.*

Petrus vt cor  
Iesu duplici  
vulnere sauci-  
auerit.

Egressus igitur foras, sicut amarè quod dilectissimum suum atq; fidelissimum negauerat magistrum, cor Iesu duplici vulnere sauciens: id est, negatione videlicet primo, deinde lachrymosa contritione. Neque enim pietas Iesu se continere potuit, vt compassione erga dilectum discipulum plorantem amarè detestatione sui peccati, & præ amore magistri dilecti non vulneraretur.

Precatio pro contritione peccatorum.

Psal. 41.

**T**u ergo piissime Iesu nos quoque misericordia tua oculis respice, veramq; & perfectam nobis contritionem pro peccatis nostris, qua lachryme sint nobis panis die ac nocte, infunde: vt in fletu penitentia tibi reconciliemur & in tuo sanguine pro nobis effuso, ab omnibus peccatis, vitijs ac negligentijs nostris emundemur, qui es sine fine benedictus, Amen.

DE DOMINI IESU ANGVSTATIONE IN DOMO  
Anna & Caphe. Theorema X.

ARGVMENTVM.

**Q**ui in angustijs & necessitatibus nostris, tum nos omnes, tum potissimè gentem Hebræam conclusam consolabatur; latam aperiens euadendi viam, atque accipiens, propter nos & ab eadem gente nunc vndique angustatur.

IESUS QUAM FVERIT SEMPER IN ANGVSTIIS  
fidelissimus liberator. Concio X.

Quomodo  
gentem He-  
bræorū Deus  
ex multis an-  
gustijs sæpè  
liberavit.  
Exod. 13. 14.

**A**rgumenti huius prior pars, ex sermone octauo supra habito, non parum confirmatur. Recordare enim quid ibi dictum fuerit, quomodo filij Israel Aegyptum egredientes, quando ex omni erant parte conclusi, ante se rubrum habentes mare, à tergo verò insequentes hostes, à lateribus vastam inuiamq; eremum angustiati fuerint, clamauerintq; nihil aliud expectantes, quam ex omni parte interitum: Dominus verò ex omni eos angustia eripuerit, viam illis per mare rubrum aperiens, qua sicco transirent pedes. Pharaonem verò omnemq; eius exercitum post illos insequentem, dum in medio essent maris, fluctibus vndarum relabentibus, Israelq; traducto, submerfit. Recole præterea quomodo eundem populum de hostium manu, de imperantium sibi tyrannide, deq; vastantium manibus, imò de quacumq; angustia calamitateve (quibus sæpenumero peccatis suis id facientibus, fuerant comprehensi) liberauerit, illis rectores & iudices constituens, qui eos (dum a liquo vita eis morte fuisset amarior) tutarentur. In mentem quoq; veniat Dauid, quomodo illum suosq; quos habebat secum Dominus liberauerit, quando Saulem regem fugiebat persequentem, eratq; Dauid eo tempore cum suis in deserto

Iudic. 2.

Dauid con-  
clusus à Sau-  
le, quomo-  
do liberatus.